



Iusiurandum fidelitatis  
ab iis dandum qui Episcopi dioecese  
nominati sunt

Ego P E T R U S   W A N G   K E I   L E I

nominatus Episcopus DIOECESIS SCIAMCHIAMENSIS  
sanctae apostolicae romanae Ecclesiae et Summo  
Pontifici, beati Petri Apostoli in Primatu Successori  
et Christi Vicario, eiusque legitimis Successoribus  
semper fidelis ero atque oboediens. Quos non tan-  
tum summo prósequar honore, sed faciam etiam,  
quantum in me erit, ut debitus iisdem tribuatur ho-  
nor et omnis iniuria ab ipsis arceatur.

Iura et auctoritatem Romanorum Pontificum,  
mihi curae erit promovere ac defendere; ítidem prae-  
rogativas eorum Legatorum vel Procuratorum. Quid-  
quid autem contra éadem a quopiam contigerit at-  
tentari, ipsi Summo Pontifici sincero animo ape-  
riam.

Apostolica munera mihi commissa docendi,  
sanctificandi et regendi, in hierarchica communione  
cum Christi Vicario et Collegii episcopalis Mem-  
bris, omni cura ad mentem et litteram sacrorum  
canonum absolvere satagam.

In depositum fidei purum et integrum servan-  
dum atque authentica ratione tradendum studiose  
incumbam, errantibus vero in fide paternum ani-  
mum pandam iidemque ut ad plenitudinem catho-  
licae veritatis redeant omni ope annítar.

Ad Concilia aliasque actiones collegiales episco-  
pales vocatus, nisi impediatur, me promitto esse ven-  
turum vel responsurum.

李宏基就任主教宣誓詞

Bona vero temporalia ad Ecclesiam mihi concreditam pertinentia iuxta sacrorum canonum normas diligenter administrabo, sedulo invigilans ne eadem quoquo modo pereant aut detrimentum capiant.

Concilii Vaticani II aliaque canonica Decreta quae institutionem et ambitum actionis Conferentiarum Episcopaliū respiciunt, necnon Consiliorum Presbyteralium et Pastoralium, amplectar eorumque munerum ordinatum usum libenter promovebo.

Statis denique temporibus Apostolorum Limina vel ego ipse vel per alios ad normam iuris invisam, rationem de pastoralī meo Officio reddam ac de clero et populo mihi commissis fideliter referam; mandata simul obsequenter accipiam maximoque studio perficiam.

Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia.

(*Subscriptio Antistitis nominati*)

+ *Petrus Wang Kei Lei*

+ Petrus Wang Kei Lei

Episcopus Dioecesis Sciamchiamensis

*Ego infrascriptus testor praefatum Antistitem iusiurandum ut supra in manibus meis dedisse hac die decima*

*quarta mensis Februarii, anno millesimo nongentesimo septuagesimo quarto.*

+ *Charles Lemaire*

+ Charles Lemaire, Episcopus tit. Otrus.



Hoc folium nominis subscriptione et sigillo rite instructum ad Sacram Congregationem in Apostolicis sub plumbo Litteris designatam quam citius mittatur.

*Concordat cum originali*

*W. Manzelli, Vice Caus.*

*Hong Kong 14 Februarii 1974*